

merorum contrarius sit numero epicycli ac zodiaci. Postremo in sexta tabella secundum quantitatem semidiametri circumferentiæ exterioris prioris tabellæ, ex  $H$  centro describatur circumferentia, & extra hanc ex  $C$  centro eccentrici alia. Rursus in secunda tabula, quæ & epicycli, describatur periferia, qua deinde ex eo resecta, in alio plano describatur eiusdem quantitatis orbiculus, qui conglutinetur  $A$  centro epicycli in eccentrico signati, & in alia deinceps tabula maior hac, quæ, applicato prius epicycli cauo orbiculi gibbo cum eodem  $A$  centro compingatur, ita tamen ut circa eas epicyclium liberè hac illacq; moueri possit, quæ omnia ita perficiantur, sicut de Saturnij astri epicyclo supra dictum est. Iam in tertia tabula quam eccentrico dicauimus, super  $C$  centro describatur periferia paulo maior rotula motus centri, eaq; ex eccentrico ablata, eiusdem quantitatis designetur circumferentia, quæ ubi super  $C$  puncto in deferētis augem eccentrici tabula signato, affixa fuerit, ei applicetur eccentrici rotula, agglutineturq; illi rotula sexta, ita tamen ut cum harum diametri unam quasi lineam cōstituerint, strictiori unius latius alterius superemineat. His ita connexis orbibus, quantitas  $C H$  lineæ in harum diametro à  $C$  uersus  $D$  centrum numerabitur, quod respondet strictiori exterioris, & latiori inferioris rotulæ, & ex  $H$  puncto describatur prioribus aliquantulū strictior ambitus, circa quem ita orbis compacti excauentur. Iam uero in alia tabula describatur rotula & magnitudine & crassitie similis priori, quæ affigatur rotulæ deferentis augem æquantis in prima tabula descriptæ, eiq; applicentur rotulæ iam cauatæ. Deinde conglutinetur huic rotula sexta super  $K$  centro. Postremo ex  $A$  centro epicycli,  $H$  centro parui circuli,  $K$  centro æquantis, &  $D$  centro mundi tam in Zodiaco quàm hisce orbibus descripto, fila serica exeant.

¶  $D$  Centrum